

1571
*Alexander
 Donatus turpi
 deditione
 Antibaris
 in Turcarum
 potestatem re-
 linquit.*

*Joannis
 Bruni, Anti-
 baris Epi-
 scopi, opera,
 ne civitas
 Turcis tra-
 deretur.*

*Alexander
 Donatus a
 Decemviris
 exilio da-
 mnatus.*

*Butua a
 Turcis di-
 muta.*

perculsus, e vestigio pacta concordia, urbe egreditur, non sine ingenti periculo, ne una cum Orembejo a furente milite, atque oppidanis interficeretur; plerisque e civibus, ac militibus repentinam, ac turpem deditionem detestantibus, quos Joannes Brunus, Antibaris Antistes, Antonii Bruni affinis, summa in religionem pietate, magna in Venetos fide, ad hostium impetum fortiter sustinendum, neque per metum atque ignaviam hosti deditionem facerent, vehementi dicendi ardore incitaverat. Verum Orembejus, solerti astu infimæ plebis ingluviem, frumenti ac commeatus horreis reſeratis, permulcere adnixus, una cum Donato, ac militibus, paucisque aliquot civibus evasit: captivum Antistitem hostes fecere. Donatus ob rem perperam, atque ignave gestam bonorum publicatione, perpetuo exilio, nobilitatis amissione a Decemviris est multatus. Turcæ, Antibari munita, Spizzæ, castri edito loco prope litus siti mœnibus complanatis, Butuam ab Augustino Paschalico prætor, militibus atque incolis relictam, oppidanis se dudentibus, occupavere; leges eorum, ac privilegia facta tectaque servare polliciti. Verum, abscedente classe, infirmum atque exile oppidum ægre defendi posse earum regionum Sangiacus ratus, ad diruenda mœnia, domos solo æquandas, oppidum diripiendum se contulit. Neque aliquod libidinis, avaritiæ, necis, captivitatis genus fuit, cujus vestigia in oppidis, urbibus, agris, tectis, innoxiiisque populis impressa truculenti, ac barbari hostes non reliquerint.

Neque tot funestis cladibus, atque incendiis exſaturati, Vluzzalium cum triremibus sexaginta altius se in Adriaticum inferte, atque ad Pharum usque pertingere jubent. Quoad *Curzulam*, quæ olim Corcyra nigra dicebatur, deſecto, Antonius Balbus prætor, atque oppidani ingenti adeo timore correpti sunt, ut uxorum filiorumque prorsus obliti, noctis silentio deserto oppido, in prærupta, atque impedita loca profugerent. Virorum vero ignavia, mulierum, quæ in urbe remanserant, fortitudinem, atque audaciam excussit. Nam, virili sumpto habitu, atque arreptis, quæ homines projecerant, armis, incredibili prope, atque in omnem posteritatis memoriam exemplo ad mœnia tuenda, quæ

*Antonii
 Balbi &
 Curzolen-
 sium mulie-
 rum pul-
 cherrimum
 facinus.*